Kat. Komp.
59569
III Mag. St. Dr.
~~Teol. 5784.~~

Bartoszewski Laurentius: Prodigium naturae, miraculum gratiae Divinissimus Joannes Cantius.

PRODIGIUM NATURÆ MIRACULUM GRATIÆ, DIVINISSIMUS JOANNES CANTIUS,

Sacræ Theologiæ in Alma Universitate Cracoviensi
DOCTOR, & PROFESSOR.
Regni Poloniarum, & Magni Ducatûs Lithvaniæ,
TUTELARIS;
In Peraugusta Cathedra Posnaniensi
Admirabili Illustrissimi, & Reverendissimi Capituli, nec non Magnorum Hospitum Frequentiæ, atq; Cætui,
à
M. LAURENTIO BARTOSZEWSKI,
In Alma Universitate Cracoviensi Philosophiæ Doctore, in Academia Posnaniẽsi Pòëseos Professore, CONTURBERNII SZOŁDRSCIANI Præfecto.
Oratoriô Stylô
DECLARATUS.
Annô Domini 1742. Die 21. Octobris.

POSNANIÆ, Typîs ACADEMICIS.

IN AVITUM INSIGNE
ILLUSTRISSIMÆ DOMUS
SZOŁDRSCIORUM.



59569 III

Hactenùs armatas acies RATIS iſta vehebat,
Exponens Patriæ ſumma Trophæa ſuæ:
Altiùs aſcendit præſenti tempore pontum;
Credens Rectori vela ſecunda Jovi;
Nam: non mucrones, haſtas, vel caſtra; ſed ipſum
Miraclum Cæli! *Prodigiumq;* vehit!
SZOŁDRSCIA STIRPS etenim Cæli nutrita favo-
Has meruit merces CLASSE referre ſuâ (re.

ILLUSTRISSIMO, ac MAGNIFICO DOMINO,
D. VLADISLAO
De SZOŁDRY
SZOŁDRSKI,
LANCICIENSI, ROGOZNENSIq; CAPITANEO,

Domino, ac Mecænati Gratiossimo.

E*Meritas Divinissimi* JOANNIS CANTII *Laudes, ex professo Tibi offerre obligor.* Illustrissimæ Lanciciẽsis Rogoznensisq; *CAPITANEE,* Mecænas Munificentissime Faventissime: *CANTIUS enim eò ipsô Tuus est totus, quia SZOŁDRSCIANUS, eò ipso autem totus SZOŁDRSCIANUS, quia Professione Vitæ ac Doctrinæ suæ, Academicus; hinc: laudibus suis Tuum meritò exposcit sinum, cujus Augustam sine labe* DOMUM *& animum unà Nobiscum omnibus utriusq; Poloniæ Academicis possedit pridem. Vos enim SZOŁDRSCII, ut totius Sarmatiæ adamantina Fulcra, ita Academiarum Poloniæ, Angulares estis Lapides. Non tam Nos Doctorales Togæ, quàm Togatæ Vestræ fovent Purpuræ, in quorum sinu, velut bõ-*

 bix

bix in ſuo nidulo quieſcimus, ſumimuſq; calorem Amoris Veſtri ad erudiendos Tyrones Sarmatas, ex ipſomet Veſtro pectore. Doctorales noſtræ Laureæ in Campo Veſtræ Activitatis & Gloriæ, uſq; ad ſtuporem Orbis creſcunt: quia aureum Gratiarum Veſtrarum bibunt imbrem; & faſtigium honoris ſui unà cum Gratitudine noſtra uſq; ſub ipſa extollunt ſidera: quia Veſtrâ benè coluntur Providentiâ. Habet erudita SOCIORUM *JESU Religio, Lycæorum ſuorum Mecænates Duces* SIENIAWSCIOS, *Magnos Comites* SAPIEHAS, OSSOLINSCIOS, POTOCCIOS, *aliosq;, Mariana Patrum* SCHOLARUM PIARUM *Religio S. R. I.* LUBOMIRSCIOS. *Nos verò Poloni Academici: Pares illi Dignitate meritorum, & Almæ Genesis Benefactores Noſtros, Vos habemus SZOLDRSCIOS, ſed illi quoq; Principales Regni Poloniæ Proceres, perconſequens etiam noſtri affines ſunt Gratiani: quia Veſtri proximè Conſangvinei. Ut enim Veſtri Sangvinis venas, sic pariter favores, & Protectionem noſtrûm in ſuo corde & pectore, ex reſpectu ſuæ ad Vos Relationis fovent ac conſervant. Proinde*

hæc

hæc noſtra Fortuna! hæc Felicitas! & Gloria! quod Vos SZOŁDRSCIOS non tantùm Patriæ, ſed etiam Academicæ noſtræ Palladis Joves habemus Patres. Vos nimirum Beneficentiſſimi SZOŁDRSCII *Avitâ* NAVI *Veſtrâ non ſolius tantùm Regni Lechici, ſed etiam noſtrûm omnium Fortunam vehitis, quia noſtrarum Athenarum negotia; tam ære, quàm etiam aureô ore ſuſtentatis. Quoties enim Fortunæ noſtræ Ædes, aut Ara Sapientiæ propendit ad ruinam, Vos aurea manu erigitis ad ſpem effectûs melioris. Quoties verò negotium in Publico agitur Academicum, Vos noſtri Cyneæ, meliùs pro Honore & Gloria JOANNIS CANTII, & pro nobis, quàm olim Romæ Tullius pro Archia Poeta Præceptore ſuo, in Conſeſſibus Terrarum, Palatinatuum, ac totius Regni Lechici peroratis. Juvit nos Illuſtriſsimus* ANDREAS SZOŁDRSKI, *Epiſcopus Poſnaniẽſis* ATAVUS TUUS *ſuô ærariô. Præter alios verò quàm plurimos* SZOŁDRSCIOS, *Illuſtriſſimus, ac Excellentiſſimus* LUDOVICUS SZOŁDRSKI, *Palatinus Ino-Vladiſlavienſis Generalis Majoris Poloniæ, Senator Parens Tu-*

 us,

us, juvit & adusq; juvat nos, facundiâ oris, & calami sui, æquè duntaxat pro nostris votis, ac pro Domo sua Princeps Oratorum Cicero, coram Sacris Majestatibus Lechiæ & statibus Regni dicendo, illisq; scribendo semper efficaciter. Unde in Vestra SZOłDRSCIANA *Prosapia, Academicis nostris Rebus est quivis, aut Stator Jupiter, aut Mercurius Atlantis, Atlas verò Mercurij Frater, aut Hercules Gallicanus, aureîs facultatum & promptuarij, nempè dicendi subveniendiq; cõpedibûs omnes ad nostra desideria, nos vero Academicos ad debitam venerationem sui stringens trahensq;. Verum nos non coactè, sed libenter currimus in odorem svavitatis, & Gloriæ Vestræ, trahimurq; solîs funiculîs Charitatis, pro Vestris erga nos Beneficijs semper obligatæ, ita scilicet libenter reverenterq; currimus, ut etiam svavem necessitatẽ nostrorum Vobis obsequiorum pro præstitis favoribus fateamur, ne efficaciam* SZOłDRSCIANÆ *Gratiæ minuamus. Divinum enim quoddam in Vobis habetis* SZOłDRSCII, *in quemcunq; agitis activitate Vestrorum Respectuum, sic agitis svaviter, ac simul effi-*

caci-

càciter, ut durum sit contra stimulum Gratiæ & Gloriæ Vestræ calcitrare. Divinum inquam quoddam habetis in Vobis, & meritò, nam semper est DEUS in Vobis agitante calescitis ipso, quoties sive agitis, sive dicitis. Est autem DEUS in Vobis; quia omnes benevolæ estis animæ: hinc ex professo fortissimum habetis in Vobis Spiritum Sapientiæ. Viri secundum Cor DEI estis, quia secundùm Cor DEI *vivitis, igitur eo ipso diligitis Academicos, quia* DEO *residente in Vobis Magistro, habetis cor docile. Jovē habetis Patrē Illustrissimi Lechiæ Phœbi, sive Apollines* SZOŁDRSCII; *hinc non mirum, quia Parnassum nostrum & Musas fovetis Academicas. Septem Sapientum Græciæ polletis Scientiâ, hinc ex professo Athænîs nostris Sarmaticis, & in Academo semper versamini, Juvenes amore capiendorum Studiorum, adulti verò senesq; amore profectûs aliorum. Habem9 ut in alijs* SZOŁDRSCIIS, *sic pariter in Te ipso Illustrissime* CAPITANEE, *verificationem horum, quæ hactenus dixi. Tu enim nuper Adolescens in Lycæis Academicis unà cum Illustrissimo olim* STEPHANO *Fratre Capitaneo*

Lancicienſi uſq; ad ſtuporem omnium ſtudiis, ac virtutibus de-diſtis operam. Quia verò altior Te ſtatus diviſit à nobis loco, Amor tamen & ſtudium benefaciendi nobis hanc aliquantulam loci diſtantiam ſic junxit; ut ſemper quaſi Domi nobiſcum verſeris & reſideas. Nec Conſortem vitæ caſtiq; Thori Tui aliam Tibi elegiſſe voluiſti, niſi exBenefactrice nobis Domo Radomiccia, Illuſtriſſimam FRANCISCAM de Radomicko RADOMICKA, Excellentiſſimi JOANNIS RADOMICKI, Palatini Inovladislavienſis, GeneralisMajorisPoloniæ Filiam, exBroniſſijs, pariter favorabilibus, & clementibus in noſtraAcademica vota Dijs: nempè ex Illuſtriſſima DOROTHEA de Paradiz BRONISZOWNA, nuper RADOMICKA, Inovladislavienſi, nunc JABŁONOWSKA, Ravenſi Palatina genitam, ut duntaxat Paradiſiacæ huic; utpote de Paradiz deſcendenti Filiæ, ac Nepoti conviven-do, combinato amore Arborem Scientiæ Boni Academici in Paradiſo caſtæ Voluptatis Tuæ coleres, ſemenq; Bonæ ſpei in Avito RADOMICCIORUM CAMPO conſervares, meſſem Sarmaticæ, Academicæq; Gloriæ parituro. Et jam in Illuſtriſſimo JOANNE SZOŁDRSKI, Lancicienſi, Rogoznenſiq; Capitaneida, Achille FilioVeſtro creſcit Clypeata Virorum Seges, cui dent Superi, quàm maximum incrementum Vitæ, Gloriæ, Honoris, & Fortunæ, Vobis verò Illuſtriſſimi PARENTES CAPITANEI hoc Solatium & Fortunam, ut videatis Purpuratos Filios Filiorum Veſtrorum, eorumq; maximâ & conſtanti felicitate, ipſi maximè & conſtanter feliciſſimi lætemini & fruamini. Sic enim MagnorumParentumVobis Filijs, ſic MagnoMagni Sangvinis Veſtri Pignori Proliq; vovere, Publica Fortuna, Honor, & commune Patriæ Bonum jubet, ſic optare Benefactoribus noſtris SZOŁDRSCIIS vera propenſio, & Sinceritas Academica ſvadet, quarum debito juſſui ac imperio ego libentiſſimè ad nutum cordis obtemperans: ita voveo Magnis ac Excellentiſſimis Solatijs Veſtris, unà cum omnibus Academicis utriuſq; Poloniæ, Prodigium naturæ, ac Miraculum Gratiæ offerendo JOANNEM CANTIUM, cum hac recognitione, quòd ſim

ILLUSTRISSIMI, ac EXCELLENTISSIMI
NOMINIS VESTRI

ſemper devinctiſſimus Cliens,
& humillimus ſervus

Author Operis.

ORATIO.

M*Ira operum Divina manus molimina patrat, Servat opus factum, ſeu creat illa novum.* (a) A. S. Admirabilis enim, utpote ſupernaturalis *Architectus* totius Univerſi, eô ipsô ſtupenda ſæculis fecit opera, quia creatas & creabiles vires excedentia, etiam tunc jam omniũ ſuperavit artes, mentes, & ingenia, cum adhuc primò exercere ſe, & ad praxim reducere quid poſſet? cæpit. Primũ enim Numinis opus Cælũ, ſeptẽ Musîs cælatò opere abſolutius, tot imò plures continet ſtupores Gentiũ, quot ſidera. Nam Cæleſte hoc horologiũ, dũ Sole dies, Lunâ verò metitur & indicat noctes, quibûs moveatur rotîs? quibûs libretur ponderibûs? quibûs ad continuâ annorũ revolutionem trahatur vinculîs & funiculîs? Orbem latet penitùs, adeò; ut ſolus tantùm perfectè noverit, qui agentibus naturalibus intùs ad activitatem ſuam naturas indidit & virtutes. Motrices quidem cælorũ Intelligentias ad uniformem ſphærarum gyrum An-

(a) M. Biezanovius Oraculi Parth: Anag: 37.

gelos adſtruimus, potius forſan ideò mancipamus liberos hosSpiritus, velut Siſyphos ad revolubile ſaxum, quia capacitatem noſtram intrinſeca ſphærarum excedit virtus,& mobilitas. Planetarum cauſalitatem & influxum in ſublunaria, ſera Matheſim docuit experientia, non autem rigoroſa ſcientia,ſi verò ſcientia,certè ex multis præmiſſis veris & evidentibus, utpote jã præteritis cauſatorum effectis deducta, non verò radicaliter penetrante. In ſublunaribus pariter perpendẽdis operibus ab eodem Numine abſolutis, potiùs captivamus ingeniũ; quàm ſcimus. Ex quo fonte enim venti fluant? qui viſcera terræ concutiat motus? à quo Parente imprægnentur montes? gemmis conchæ! arbores nubibus! unde luſus mari? limitatô intellectu opinamur tantùm, non callemus; adæquata verò notitia ſoli *AuthoriDeo* relinquitur, velut Oceano ſua profunditas. Quæritis unde hæc in nobis ignorantia? ex Majeſtate operumDivinorum, & inſcrutabili conſervatione eorundem, quam ſolus uſus vel in advertentia minuit plerumq; aut contemnit; Dignitas tamen ſupra æſtimationem noſtram eandem extollit à natura. Mirabilior tamen adhuc Omnipotentiæ Divinæ labor inDivis conſurgit Cælitibus,attollitur & relucet, quia diligentiori dexterâExcelſi agitur,&Theologicè ſupernaturalibûsGratiis ac donîs perficitur. Major enim ſolarium radiorum in cryſtallo, quàm in àëre calor ſplendor & activitas, major in magnis fluminibus concurſus plenitudinis, quàm in rivulo, quamvis ex ijſdem principiis; illi ſcilicet exPhæbo, hæc ex fontibus proveniunt. Sic & Sanctorum perfectio, concurſu ac congerie plurium earumq; ſpecialium conſtat Gratiarum. Ilias probitatum DiviniſſimusJOANNES CANTIUS,Togatæ Sarmatiæ, Togatus Tutelaris,ſed Ilias Iliade Homeri compendioſior, quia ædificationẽ

omni-

omnium, non excidium Trojæ comprehendit. Cum Divinissimo enim JOANNE CANTIO, ut cū Baptista erat manus Domini, sed præ alijs multis Cælitibus specialiùs & intensiùs. Excellentes enim naturæ dotes, ut in sole radij, dona Numinis, ut in gemma candor, aut in adamante pretium claudebantur. Proinde non admirabilì quidem stylô, sed humilì svadâ, cum profundo filiali cultu dicam Divinissimum JOANNEM CANTIUM, Tutelarem Regni Poloniæ esse PRODIGIUM NATURÆ MIRACULUM GRATIÆ. Eventus Miraculi hujus à gemino principio nēpè ab auxilio Numinis, & à Vestra Auditores Inclytissimi dependet benevolentia, quam supplex Orator posco.

PRodigium Naturæ ac Miraculum Gratiæ in JOANNE CANTIO deducturus, ante omnia quævis hic monstra & portenta orbis cum Hercule tollo non tolero. Monstra enim hæc excessus sunt vel defectus debitæ ac naturalis exigentiæ, rapiunt quidem ad stuporem, sed non ad cultum; quia contra solitum naturæ fiunt ordinē. Nulli tamen proficuo fructui usuveniunt, obsuntq; potiùs quàm prosunt. Proinde excludo hîc tam carnea propugnacula Phlægre os duntaxat Gigantes illos; quos: *terra parens quondā cælestibus invida Regnis, invisum paritura nefas,* in excidium Deorum genuit, ut sideream arcem Jovis oppugnasset, quàm sive monoculos Polyphæmos & Cyclopes, sive centoculos Argos, sive centimanos Briarios, quàm etiam dulce malum pelagi Sirenes, necnon Harpyas quoq;, quæ cælum diem solemq; Serenum extensîs velabant alîs, illibatas autem Deorum mensas sanie suâ maculabant. Hæc enim cæteraq; spectra, insolita sunt prægnantium vitiorum proles, non fæcundarum autem virtutū propagines, adeoq; ; ut in debito rerum ordine locum, sic in Sanctorum apothe-

potheosi accéptationem sui non merentur. Illud verò recto Sapientum sensui Prodigium vel Miraculum, quod speciali Numinis opi, causalitati & concursui suum esse, publico autem usui ordinatam utilitatem debet. Scilicet à Deo fonte manat, & in communia omnium vel saltem plurium funditur desideria. Supra naturæ fit ordinem, non autem exigentiam. Nam quamvis (utpote supra spem & opinionem conceptũ) à nemine quandoq; poscitur, à cunctis tamen cum promiscua æstimatione, & cum osculo cordis acceptatur. Sic: si gelidus December inter Hyperboreas nives Rosam pariat, Prodigium hoc & Miraculum naturæ, in extraordinaria temporis circumstantia, à Parente horto editum, protinùs manibûs ac deliciîs Regum, & majorum Deorum ará dignum adhuc in cunis extat. Sic pariter desperata Principis medicorum ope, & consiliis destituti salus, suæ confestim incolumitati, auxiliô cælorum reddita, totius Regni non tantùm est solatium, sed etiam renata quædam prosperitas. Prodigium itaq; est nobilior ordinariæ naturæ partus; Miraculum verò specialior cooperatio & favor Superum, Ast quia utraq; declarationis excellentia congenita est Divinissimo JOANNI CANTIO, ergo CANTIUS est PRODIGIUM naturæ MIRACULUM Gratiæ. Quid enim ANNA? nisi *Gratia*, sed hæc ex inclytissimo STANISLAO conceptũ JOANNEM CANTIUM in lucem orbi edidit, igitur; ut Materno sangvine, sic quoq; Gratiîs Nominis sui formavit. In *stante* autem *laude* STANISLAO Patre non nutat arundinis instar, sed adamante solidiùs naturæ stat Prodigium. Obscuritatem nativi soli in Kenty velut in angulo frustra illi livor objiceret. Nullus enim adamas in publica Regnorum nascitur Metropoli, sed in abditis rupium recessibus. Gemmarum semen

ros

ros cæleſtis nocte decidit, & concipitur. Phæbei caloris ſpiritu in embrione cæleſti duntaxat rore animati uniones, non tantùm in abſtruſis conchilij viſceribus, ſed in profundiſſimo quoq; Oceani formantur ſinu. Hinc eò rarior & majoris admirationis gemma, vel adamas, quò ex remotiori abdito eruitur: *vilior in triviis cautes calcatur & agris*, quia in via publica habet Patriam. Imò: in nativitate ſua amant nō tantùm pretioſa, ſed etiam ipſa Numina latere. Quid enim Apolline ſapientiùs? quid Dianâ in commentis Sanctiùs? certè nihil; hæc tamen Nūmina ad ſtuporem Orbi cultumq;, necnon ad Imperium Cæli in Ida inter opacas ſylvarū arbores enixa eſt Latona Parens, ac protulit Orbi, quæ ut Delphicum Oraculum in Apolline pareret, inter nemora ſe recepit. Veriora edifferam fabulas omittendo: quid privatiùs Oppidulô Bethleem in Judæa? quod Divinis cunis ſuis idq; in præſepio elegit *Incarnatus Sanctorum Elector Redemptor & Corona*. Sol hic Juſtitiæ ſub aurora non ſub Sirio, quia in Oriente natus, non autem ſub meridionali Cælorum plaga. Maluit in medio mundi theatro operari, & complere ſalutem hominum, quàm pueriles ſuas exponere cunas. Sic pariter JOANNI CANTIO, velut nox cæleſti rori, viſcera conchæ, & Oceani ſinus gemmis, Bethleem Chriſto, contigit ad naſcendum, ut eò magis foret Prodigium naturæ Miraculū Gratiæ, quò in inopinato privatiori, & minùs claro loco Excellentiſſimus Virorum Divorumq; Regni Sarmatiæ Tutelarium oriretur. Intimiùs tamen ſpectando cunas: JOANNES CANTIUS Infans, ut in ſuis nativis Princeps cunabulis, quia in Oſvecimenſis Ducatûs naſcitur diademate, inventus in Ducali Tiara, non aliunde illatus eidem. Quia verò: licet cuilibet ſupra ſuæ Nativitatis fortunam altiùs adhuc ſurgere,

maximè uſu quæſtuq́; Sapientiæ ac Virtutum: tum e-tiam quia ſol auroræ unigenitus, ideò oritur : ut illu-ſtret cælorum atria, majori fænore lucis ſolus, quàm mille minora ſidera, notumq́; ſit ſtupentibus terrarum oculis, quantus in ſubſolano abdito naſcatur Princeps ſiderum; hinc: etiam DiviniſſimusJOANNES CAN-TIUS, Prodigij naturæ Miraculi autem Gratiæ ſui i-pſius ſcilicet talenta monſtraturus, Almæ Univerſita-tisCracovienſis petit Auguſtalia, problema ſecum in-ferens: utrum diſcere veniſſet an docere? diſcere enim ut Tyro velle, docere autem competere, ut quò ad qualitates Orthodoxæ perfectionis jam vir, ab omni-bus putabatur. Sed latentis Cracoviam, Lechiam, Orbemq́; eventûs mentis intentionis, & capacitatis ſuarum dubium, ſolus omnibus explicuit, dum ſcien-tias ab omnibus diſceret, virtutes doceret quàm plu-rimos, utpote hinc inter publicos eoſq́; Togatos Sci-entiarum Doctores, inde verò interTyrones probita-tum Scholaſticos Juvenes conſtitutus, converſatus.In Regiis nempe Jagellonicis Olympiis Literarum, ſic cucurrit ad bravia Laureas ſcilicet Doctorales: ut eaſ-dem comprehenderet. Nec tamen ad illas ut fraudu-lentus Leſco ad Coronam Lechiæ per ferreos dolos, ſed per chalybeos probitatis ac eruditionis niſus, imò: per aurea aureæ mentis & ingenii acumina ivit, præ-ceſſitq́; plurimos, utpote anteſignanus Dux virtutũ; qui ſub Aquila magnarum alarum, ſigna ſuæ eruditi-onis, & conaminis explicans, omnium quatuor Fa-cultatũ regebat copias, ordinatiſſimæ exemplô vitæ, ut pateret Univerſo: ideo exDucatu Oſvecimenſi JO-ANNEM CANTIUM ſuam ſumpſiſſe originem, ut cunctos illuſtraret lumine ſanctitatis. Solis Divinæ Gloriæ incitatus ſtimulis,curſumSacræTheologiæ cõ-ſumavit laudabiliùs, quàm Sol Zodiacum Cæli, quia

nec

nec rixantibus ſordidæ vitæ capris, nec venenoſis bono publico commanſit, aut communicavit ſcorpionibus. In libra Divini, ſuiq; Judicij omnibus ex æquo fuit, ex æſtivo tamen ſupremæ cōtemplationis & favoris Superum, ſolſtitio graduq; deſcendit, nunquā. Nec cancrino ſerpebat paſſu, ſed cum Palatinali Cracovienſi (b) Aquila in omnium volabat vota. Unde Prodigium eſt naturæ, Miraculum Gratiæ verum ho minem citra fabulas, & comenta Pòëtarum JOANNEM CANTIUM, more Icari volare pennîs amoris proximi: ſed pennîs fusîs ex Virgine cera candoris innocentiæ, lecta de roſis ſæculorum. Inde tantùm forſam in cancro fuiſſe viſus primæ magnitudinis Sidus Poloni Poli CANTIUS, quòd Decanalem ter ſumpſit Purpuram, quam innatâ verecundiâ & Sapientiâ plu ries meruit de condigno. In quo murice Sidonio, ne velut coralliū totꝰ eſſet, ſangvineô ſcilicet intꝰ perfuſus colore, ſangvinem ſibi quotidianâ inediâ, & nocturnîs flagellîs minuit. Non ſatis erat JOANNI CANTIO, in animo & moribus, ſed etiam in corpore benè diſciplinatum eſſe, ut voluit; fecit. Ex quo etiam *Prodigiū* naturæ & *Miraculum* Gratiæ fuit, quia penè exos & exſangvis cælitùs ſuſtentatus, vixit.

Miraculi natura eſt in meliùs fieri: ſic Miraculoſum in Cana Galilæa vinum: quia ex pura lympha factum. Princeps Miraculorum Miraculum:

Gentibus & Cælis Venerabilis Hoſtia Chriſtus,

quia ex tranſubſtantiato Pane totus Divina Hypoſtaſis, ſæculis inenarrabili, & creatis mentibus ac ingeniis incomprehenſibili unione Hominem jungens Deo, Deum Homini. Corruptio enim potiùs rei, vel compoſiti fit, ſi in pejus vertitur. Sic acetum filius vini etiam optimi, confundit Patrem maſſicum, & Hungaricam matrem vitem, quia;

 No-

(b) Palatinatus Cracovienſis Stemma *Aquila in vexillo.*

Nobilis in pejus mutavit stirpis honorem.
Arcet delicatum ac intractabilem gustum & appetitum sui, quia ex dulci in acorem degener, hinc:

Dotibûs amissîs, gustûs amittit amorem
æstimationem sui atq; pretium. Nec ad sentes apes convolant.

Si riget amissîs spina relicta rosîs.
Deteriora enim ex melioribus facta, nisi qui gustum & ingenium amissit, diligit. Proindè ut quidquam Miraculi aut Prodigij nomen habeat, fiat aut ex spina Rosa, aut ex umbra splendor, ideſt: melioribûs supra naturam donîs floreat, & niteat. Vidit hæc in JOANNE CANTIO, tàm sol mundi oculus, quàm qui uno intuitu videt omnia, dum Divinissimus JOANNES CANTIUS inter algores hyemis, suô ad cooperiendam mendici nuditatem denudatus palliô, non riguit; sed florentissimo commiserationis vernabat purpurisso, quô & fremẽtis inopis, & Cælorum vota coronavit. Inter Academicas verò umbras merus Sanctorum splendor fuerat, illustrationi orbis & mentiũ sufficiens. Ut enim ad solem aut ignem, sic ad JOANNEM CANTIUM nemo accessit, quin aut illuminationem melioris vitæ, aut calores Divinæ sumpsisset charitatis. Sacer quippe ac illibatus Mystes JOANNES CANTIUS, & *Sole Justitiæ* radiabat totus, & IGNE CONSUMENTE ardebat totus. Ardor tamen hic (mirum dictu; quia mirum factu!) CANTII, protinùs mutatus in imbres, ubi diffusum Cracoviæ incendium in ictu oculi compescuit. *Miraculum* id & *Prodigium* naturæ, ac Gratiæ, fuit in utilitatem non solùm hominum, sed etiam in integritatem ædium. O! Phænix excellentiâ suâ Sanctitas! atq; Pietas! Divinissimi JOANNIS CANTII! quæ non unius Viri; sed totius Cracoviæ vitam sumpsit ab incendio. Integer-

ri-

rimus Vir CANTIUS discrimen ab igne urbem ferre non passus, maluit solus à detractoribꝰ suis lædi, quàm tecta; libentiùs ferret suæ jacturam vitæ, quàm fortunæ alienæ. Si fuisset CANTIUS:

Dùm Phaetonteîs erroribûs arserat annus (c) uberrimîs suîs Numina conciliantibus lachrymarum imbribûs incendium totius Orbis extinxisset. Si verò cum Noe foret:

quô tempore pontus

fuderit elatas scopulîs flagrantibûs undas, (d) proculdubiò ferventissimo æstu pectoris, & ardore pietatis suæ ubertatem tumentis Oceani, ac totius diluvii exsiccasset; ne Orbis Terrarum, sive à Vulcano, sive à Neptuno cladem pateretur. O! sæculorum Prodigium, ac Miraculum Divinissime JOANNES CANTI:

Pectoris ardores liquidas qui vertis in undas,

Humorem pariter lachrymæ qui vertis in ignem

Non dubito A A. quod inter superordinaria recenseretis Prodigia, & inter aurea hunc annum diemq; reputaretis sæcula, si rapidus hic Posnaniensis *Varta* lacte, vel melle flueret, purasq; undas confestim in Deorum nectar, vel ambrosiam commutaret. Ast Cracoviensium Arenarum *Rudawa* Prodigiô, ac operatione Divinissimi JOANNIS CANTII, sic quondã fluxit, ex quo haustus limpidus puræ aquæ liquor confestim in naturam lactis abiens, candorem ac dulcedinem simul imbibit: Ergo JOANNEM CANTIUM, non tantùm inter miracula, sed inter Miraculorũ Patres colite, veneremini.

Appensa Sacris Iconibus vota, Miraculorum sunt signa & specimina, ducunt in recognitionem Gratiarum, & in cultum. Compensativa hæc donorum a-

(c) Claud: in Eidylliis. (d) Idem ibidem.

nademata teſtes ſunt Cælici favoris præſtiti, præſtandi autem vocales ſunt in ſilenti aurô Oratores. In Diviniſſimo JOANNE CANTIO, ut Gratioſam ac Miraculis claram Imaginem indicâſſent Superi, magna Sacræ Romam, & Solymam peregrinationis Vota appenderunt, & Prodigium naturæ ac Miraculum Gratiæ in illo approbârunt. Ad vota quippe hæc JOANNES CANTIUS, cunctis ſuæ curæ, & ſollicitudini devotis ſemper efficax, ac propitium Numen erat, & quot paſſus Romam; tot benevolentiæ ſuæ documenta, quot greſſus Hieroſolymam; tot ſpecimina ſuarum præſtitit Gratiarum. Illuſtravit Solymam ſuæ radijs Sanctitatis, dum omnem *Solis Juſtitiæ* uſq; ad fatalem ſuæ occaſum Paſſionis, decurrit viam. Tiberina verò oſtia Romæ, fontibûs auxit Pietatis, & Sanctis erga ſingulos implevit meritîs ac obſequiîs. Noſcit aduſq; Latium Sacra JOANNIS CANTII veſtigia, & pronô cultu ac æſtimatione ſuâ, eadem Caput Orbis, & Urbis veneratur. Unde ad efficaciam Apotheoſis, jam Tertium Decretum tulit, (e) ut ex juſtitia decernat cultũ Lechici Tutelaris. Nec patietur ampliùs differre appingi Sanctorum huic radios, qui clarum tàm in vita Prodigium Naturæ fuit, quàm poſt fata quoq; in ſuis Lipſanis continuum eſt Miraculum Gratiarũ. *Sanctiſſimus* enim *BENEDICTUS XIV. SUMMUS PONTIFEX feliciter modernus*; ut appromiſit ſe Benedicturũ Coronæ ſæculorum, & annorum præſentis ævi noſtri, ſic pariter effectuãdo Paternæ appromiſſionis ſuæ Gratiam, Ternâ Pontificali Cruce ſuâ addet publicæ expectationi, Proſperitatis Decades. Cardinalitia verò *Eminentiſſimorum Sacræ Congregationis Rituum* ROTA, ad effectum diuturnæ ſpei, Sarmaticam fortunam evehet

(e) Annô præſenti 1742. ſtetit Decretum 3tium Canonizationis B. Joannis Cantij.

het ſuper ſidera, non morando ſcilicet publica ſolatia, ut quæ antiquitùs concepit ætas, modernô jam tempore pariat, maximè dum & alleviati, ac felices Puerperarum partus, & claudicantium rectitudo greſſuũ, & vibrata nuper cæcorum acies, & reſtituta tàm agonizantibus vita, quàm caſu depactatis Fortuna, & detumentia privati communiſq;, interni externiq; contagii, tot ulcera, quot montes colleſq; terræ, per interpoſitionem meritorũ, ac virtutum JOANNIS CANTII ſanata & curata, ſic nocte dieq; Auſonios favores pro finali expetunt Apotheoſi: ut Archi-Metropolis Apoſtolicæ Authoritatis & Fidei Roma, juſtiſſimis ſimulq́, intenſiſſimis Orthodoxæ Eccleſiæ, Chriſtianorumq; Regum, Principum, ac Regnorum votis ampliùs reluctans, & indifferens eſſe nequeat. Advolárũt jam Circulares Principum, ad Urbem Urbium Romam directæ: & à Fama Sæculorum, & ab Honore Gentis Sarmaticæ, & à Gloria Tutelarium Regni Poloniæ, & ab Amore boni publici, & à Gratia Cæleſtium favorũ, & ab ipſa mentiri neſcia præſtitorum Beneficiorum CANTII, Veritate, inſtantiales magnæ Authoritatis Epiſtolæ; ſuorum ad ſignanda privilegia Sanctitatis communicativæ ſigillorum, quibus: haud aliter poterit Dextera Excelſi Manus Domini Pontifex reſcribere, niſi benè juſtèq; prætenſum Sanctitatis Titulum, in fronte Libri Vitæ, ac in contextu Reſcripti Apoſtolici exprimendo, ac obſigillando Annulô Piſcatoris. Aliter enim pacificari publica non poſſe vota & deſideria, ut judicat, ſentit, & probè intelligit Caput Orbis, & Urbis Roma; ita pariter aliter pacificare nolle, communi omnium ſpe, ſenſu, ac judicio; indubitanter fortiter, & certè, à recto Jure & homine præſumitur, imò ut ita dicam: creditur.

Antequàm tamẽ Vivum Divinæ vocis Oraculum

SUMMUS PONTIFEX, ternô titulô perfectæ Sanctitatis dignificatũ, coronatumq; Prodigium naturæ, ac Miraculum Gratiæ, Diviniſſimum JOANNEM CANTIUM, ex Vaticana Exedra declarabit, ac definiet, Vos hìc priùs ex Cathedra Petri A.S. idem Prodigium, ac Miraculum approbate Veſtrô cultu & aſſenſu, ſicq; ad efficacem JOANNI CANTIO, Apotheoſim erit vox Dei, non in voce populi, ſed in voce, ore, & affectu Procerum, ac Principum Eccleſiæ; quia geminô Titulô (nempè Cathedræ Petri Pauliq;, & Celſiſſimi Ducis Paſtoris) Principalis Cathedræ Prælatorum, ac Numarum. Sentite de Diviniſſimo JOANNE CANTIO, in bonitate, & ſimplicitate cordis Veſtri, illum eſſe Prodigium naturæ Miraculum Gratiæ, ſentiendo autem credite; ut effectum Gratiæ JOANNIS ſortiamini. Credentibus enim & Miracula, & Numina proſunt, ac ſubveniunt; diſcredentibus autem nec hæc, nec illa. Tu verò Diviniſſime JOANNES CANTI, ut Prodigium naturæ, & Miraculum extas Gratiæ; ita pariter ſingulorum Noſtrûm votis admirabilî, non deſis Patrociniô & auxiliô, ſed quotidianos fermè continuando reſpectus Favoris Tui, praxî, ac effectu approba, quod ego hactenùs filili ſtylô, ore, & affectu, ex corde D I X I.

XX. 1. 27

Biblioteka Jagiellońska
stdr0025817